



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Amor quem externis Socijs deferebat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

tatis hominem in plateis fortè conspicaretur, protinus suaui alacritatis beneuolentiæque significatione salutabat, ceterà licet ignotum, neque ad hoc temporis visum: rogatusque à socio aliquando, quid tantam in ignotos præ se ferret affabilitatem; respondit: *Quia fratres mei sunt.* Eaque familiaritate cum Patribus Fratribusque exteris domi versabatur, ac si pridem omnes noti familiareque fuissent. Quoties nostrum aliqui longinquis è mundi partibus aduentabant, ad complectendos eos, pro more legum nostrarum, diligentissimus aderat; eorumque, quibuscum fortè tum loquebatur, societate tantisper abdicatâ, ad id officij alacer aduolabat, quod iam inde Apostolorum memoriâ natum seruatumque à priscis Monachis ac viris Religiosis, illi amplexum pacis appellabant. Id verò faciebat vultu hilari, capite aperto, ac decenter prono, submisso ad terram corpore: opinatus sub hospitis personâ se Christum accipere, affirmantem, *Qui vos recipit, me recipit.* Hunc morem filios suos edocebat magnus ille Occidentalium Monachorum Patriarcha Benedictus, præscribens hanc legem: *Venientibus siue discedentibus hospitibus inclinato capite, & prostrato omni corpore in terrâ, Christus in eis adoretur, qui & suscipitur.* Hac cogitatione Ioannes hospites nostros

*Amor in
externos
nostros.*

Matth. 10.

Regulâ 53.

ex

